



## Universitätsbibliothek Paderborn

**M. Adami, Scriptoris Vetvsti, Historia Ecclesiastica,  
Religionis Propagatae Gesta, Ex Hammabvrgensi  
Potissimum Atque Bremensi Ecclesiis, Per Vicina  
Septentrionis Regna**

**Adamus <Bremensis>**

**Helmetadi[i], 1670**

II. Eivsdem Avctoris de situ Daniae, & reliquarum Septentrionis  
provinciarum, liber.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11096**

rum clientelam & contubernium in summo coluit amicitiarum loco; pariter gloriatus se duos tantum habere Dominos, hoc est, Papam & Regem, quorum Dominio jure subjaceant omnes saeculi & Ecclesiae potestates; illos nimirum sibi esse timori ac honori. Apparuit hoc in fide viri, quam ita integram servavit utrisque, ut auctoritati Apostolicae nihil praeponebat, antiqui honoris Privilegia sedi Apostolicae contenderet integra debere servari, ejusque Legatos summo recipiendos amore censeret. Majestatem vero Imperatoriam quanti faceret, Episcopatus ejus testis est, ideo vel maxime destructus, quod a fidelitate Regis nec minis, nec blandimentis Principum rescindi potuit. Formidolosa enim est malis Regia potestas. Vnde etiam frequentes in Regno conspirationes fieri solebant. Quibus ipse tamen nec verbo unquam communicare voluit. Pro ejus fidei merito a Rege quidem *Major domus* in Palatio constitutus, dono ejus multa lucrabatur bona Bremensi Ecclesiae, de quibus supra plenius dictum est. A Papa vero hoc dignitatis meruit privilegium, ut totum jus suum *f* in illum successoresque ejus ipse transfunderet, adeo ut ipse per totum Aquilonem in quibus opportunum videbatur locis, invitis etiam regibus, Episcopatus constitueret, ordinarerque Episcopos ex Capella sua, quos veller electos. Quorum ordinationes vel sedes, quoniam huc usque distulimus, non incongruum videtur, simul etiam DE SITV DANIAE, VEL RELIQUARVM, QVAE TRANS DANIAM SVNT, REGIONVM NATVRA scribere.

PROVINCIA Danorum tota fere in Insulas dispersita Cap. 208.  
 est, sicut etiam legitur in *gestis sancti Ansgarii*. Hanc autem *Daniam* a nostris Nordalbingis flumen *Egdora* dirimit, qui oritur in profundissimo saltu Paganorum *Isarnho*, & extenditur secus mare Barbarum usque ad *Sliam* lacum. Ceterum flumen *Egdora* descendit usque in Oceanum *Fresenicum*, quem

Val. Domi-  
 nus Apos-  
 tolicus in  
 illum.



quem Romani scribunt *Britannicum*. Et prima quidem pars Daniae, quae *Iutland* dicitur, ab *Egdora* in Boream longitudine protenditur, habens iter tridui, si in *Finnem* Insulam diverteris. Si autem à *Sliasvvig* per directum viam metiris, quinque aut septem habes iter dierum. Hæc est *Strata Ortonis* Cæsaris usque ad mare novissimum *Wendile*, quod usque in hodiernum diem ex victoria Regis *Ortinsund* appellatur. Latitudo *Iutland* secus *Egdoram* diffusior est, inde vero paulatim contrahitur ad formam linguæ, in eum angulum, qui *Wendila* dicitur, ubi *Iutland* finem habet. Ibi brevissimus in *Nordmanniam* transitus est. Ager ibi sterilis: præter loca flumini propinqua omnia fere deserta videntur; terra saluginis & vastæ solitudinis. Porro cum omnes tractus *Germaniæ* profundis horreant saltibus, sola est *Iutland* cæteris horridior, quæ in terra fugitur propter inopiam fructuum, in mari vero propter infestationem piratarum. Vix invenitur culta in aliquibus locis, vix humanæ habitationi oportuna. Sicubi vero brachia maris occurrunt, ibi civitates habet maximas. Hanc quondam Regionem Cæsar *Orto* tributo subjiciens, in tres divisit Episcopatus, unum constituens apud *Sliasvvig*, quæ & *Heithebu* dicitur, quam brachium quoddam freti Barbari alluit, quod *Sliam* vocant, unde & civitas nomen trahit. Ex quo portu naves emitti solent in *Slavaniam* vel in *Svediam*, vel ad *Semland*, & usque in *Graciam*. Alterum in *Ripa*, quæ civitas alio tangitur alveo, qui ab Oceano influit, & per quem vela torquentur in *Fresiam*, vel in nostram *Saxoniam*, vel certe in *Angliam*. Tertium vero in *Arhusen*, & hunc fretum quoddam à *Finne* dirimit brevissimum quod ab Orientali pelago ingrediens, longis anfractibus inter *Finne* & *Iutland* protenditur in Boream, usque ad eandem civitatem *Arhusen*, à qua navigatur in *Finnem* aut *Seland*, sive in *Sconiam*, vel usque in *Norvegiam*. Postea vero deficiente hoc Episcopatu, quem tertium posuimus,



*Iutland* duos solummodo Episcopatus retinuit, *Sliasvicensem* videlicet ac *Ripensem*, donec nuper mortuo *Wal* Ripensi Episcopo dioecesis illa in quatuor discreta est Episcopatus, auctoritatem suam præbente Archiepiscopo. Qui mox consecravit in Ripa *Oddonem*, in *Arhusen Christianum*, in *Wiberg Heribertum*, in *Wendilam Magnum*, cui, cum post ordinationem rediret, in *Albia* naufrago, subrogavit *Albericum*. Hi quatuor Episcopi tunc *Ripensem* dono *Svein* Regis sortiti sunt parochiam. Archiepiscopus vero de suis Clericis ordinavit in *Sliasvige Ratolfum*, in *Seland Willelmum*, in *Finne* <sup>Cap. 210.</sup> *Eilbertum*, quem tradunt conversum à piratis, *Farriam* Insulam quæ in ostio fluminis *Albiae* longo recessu latet, in Oceano primum reperisse, constructoque ibi Monasterio fecisse habitabilem. Est enim feracissima, frugum ditissima, volucrum & pecudum nutritrix, collem habet unicum, arborem nullam, scopulis includitur asperrimis, nullo aditu nisi uno, ubi & aqua dulcis, locus venerabilis omnibus nautis, præcipue vero piratis. Vnde nomen accepit, ut *Heiligeland* dicatur. Hanc in vita sancti *Willebrordi Fosetisland* appellari didicimus, quæ sita est in confinio Danorum & Fresonum. Sunt & aliæ Insulae contra *Fresiam* & *Daniam*, sed nulla earum tam memorabilis. *Finni* insula est non modica post eam, quæ *Wen-* <sup>Cap. 211.</sup> *dila* dicitur, in ostio Barbari sinus occurrens. Hæc ad hæret regioni quæ *Iutland* dicitur, in quam brevissimus à *Iutland* est transitus ex omni parte. Civitas ibi magna *Odanse*, Insulae in gyro parvulae, omnes frugibus plenae. Et notandum est, si per *Iutland* in *Finnem* tetenderis, directo in septentrionem viam habes. At vero per *Finnem* transeunti ad *Seland*, oriens in faciem occurrit. Duo trajectus sunt in *Seland*, unus à *Finne*, alter ab *Arhusen*, pari uterque distat spatio. Mare natura tempestuosum, duplicique plenum periculo, ut etiam si ventum habeas prosperum, vix effugias manus piratarum.

*Seland.*



Cap. 212. *Seland* insula est in interiori sinu maris Baltici sita, quantitate maxima. Hæc tam fortitudine virorum, quam opulentia frugum celeberrima, longitudinem habet bidui, cum latitudo fere sit æqualis. Civitas ejus maxima *Roschild*, sedes Regia Danorum. Hæc insula æquali spacio distans à *Finne* vel *Sconia*, per noctem transitur, habetque ab Occidente *Jutland*, civitatem *Arhusen*, *Alaburg* & *Wendilam*, à borea vero, ubi & deserta est, fretum *Nordmannia*, à meridie autem *Finnem* prædictam, & sinum *Slavanicum*, ab ortu quidem respicit promontorium *Sconia*, ubi est civitas *Lundona*. Aurum ibi plurimum, quod raptu congeritur piratico. Ipsi enim piratæ, quos illi *Wishingos* appellant, nostri *Ascomannos*, Regi Danico tributum solvunt, ut liceat eis prædam exercere à Barbaris, qui circa hoc mare plurimi abundant. Unde etiam contingit, ut licentia, quam in hostes acceperunt, sæpe abutantur in suos, adeo fide nulla utrique ad invicem sunt, & sine misericordia quisque alterum, mox ut ceperit in jus famulitii vel socio vendit, vel barbaro. Et multa quidem alia, tam in legibus quam moribus æquo bonoque contraria, *Dani* habent: ex quibus nihil utile mihi visum est, ut dicerem, nisi quod mulieres si constupratæ fuerint, statim venduntur. Viri autem, si vel Regiæ Majestatis rei, in aliquo fuerint scelere deprehensi, decollari malunt, quam verberari. Alia non est ibi species pœnæ præter securem & servitutem, & cum damnatus fuerit lætum esse gloria est. Nam lacrymas & planctum, cæteraque compunctionis genera, quæ nos salubria censemus, ita abominantur *Dani*, ut nec pro peccatis suis, nec pro charis defunctis ulli flere liceat.

Cap. 214. A *Seland* in *Sconiam* trajectus multi, bre vissimus in *Haltingeburg*, qui & videri potest. *Sconia* itaque est pulcherrima visu Daniæ provincia, unde & dicitur; armata viris, opulenta frugibus, divesque mercibus, & nunc plena Ecclesiis.



*Sconia* bis tantum habet in spacio, ut *Selandia*, hoc est trecenas Ecclesias, cum *Seland* dicatur habere dimidium, *Finnis* tertiam partem. *Sconia* insula est ultima fere pars *Daniae*, undique cincta mari, præter unum terræ brachium, quod ab Oriente continens *Svediam* determinat à *Dania*, ubi sunt profundi saltus, montesque asperrimi, per quos à *Sconia* *Gothiam* necessario iter agitur, ut dubites utrum sit levius marino discrimine terrestre periculum vitare, an istud illi præponere.

In eadem regione *Sconie* nemo adhuc Episcopus fuit Cap. 25.  
 încardinatus, nisi quod ab aliis partibus quidam venientes interdum illam procurabant dioecesim. Deinde *Gerbrand* *Selandensis* Episcopus, & post eum *Avoco*, simul utramque gubernabant Ecclesiam. Nuper vero mortuo *Avocone*, Rex *Svein* parochiam *Sconiensem* in duos Episcopatus segregavit, unum, id est, *Lundensem*, *Henrico* tribuens; alterum, id est, *Dalboiensem* *Eginoni*. Verum istum ordinavit Archiepiscopus, *Henricus* autem apud *Orchadas* fuit ante Episcopus, isque in *Anglia* Sacellarius Regis *Knur* fuisse narratur. Cujus thesauros in *Daniam* perferens, luxuriose vitam exegit. De quo narratur etiam quod pestifera consuetudine delectatus inebriandi ventris, tandem suffocatus crepuit. Hoc & de *Avocone* factum esse comperimus, similiterque de aliis. *Egino* vero cum esset vir sapiens & literatus, ac castitate insignis, nunc etiam totum studium ejus exarsit in conversione Paganorum. Quapropter multos adhuc populos Idolorum cultui deditos, vir ille Christo lucratus est, illos præsertim barbaros, qui *Pleichani* dicuntur, & qui in *Hulmo* insula degunt. Qui omnes ad ejus prædicationem conversi in lacrymas, pœnitentiam sui erroris ita monstraverunt, ut contractis statim Idolis, ultro ceterent ad Baptismum properare. Mox etiam Thesauros & omnia quæ habebant sternerentes ad pedes Episcopi, flagitabant, ut hæc dignaretur accipere, quod renuens Episcopus, docuit



eos ex eadem pecunia fabricare Ecclesias, egenos alere, & re-  
 Cap. 216. dimere captivos, qui multi sunt in illis partibus. Fertur  
 idem vir magnanimus, eo tempore, quo in *Suediam* perse-  
 cutio magna Christianitatis incanduit, *Scaranensem* Eccle-  
 siam, ceterosque fideles, eo quod pastore carebant, frequen-  
 ter visitasse, consolationem ministrans hiis, qui in *Christiana*  
 crediderant, incredulis verbum Dei constanter annuncians.  
 Ibi etiam opinatissimum *Ericconis* simulachrum in frustra con-  
 cidit. Pro quibus virtutum insignibus, a Rege Danorum ma-  
 gno deinceps vir Dei honore habitus, defuncto mox pingui  
*Henrico*, utramque *Sconia* parochiam, scilicet *Lundensem* &  
*Dalboensem* gubernandam recepit. Qui mox *Lunda* sedem  
 Episcopalem constituens, apud *Dalboiam* Præposituram fra-  
 trum regulariter viventium esse præcepit. Itaque duodecim  
 annis in sacerdotio nobiliter exactis clarissimus vir *Egino* à  
 Romana regressus urbe, mox ut domum pervenit, feliciter mi-  
 gravit ad Christum, eodem anno quo noster Metropolita-  
 Cap. 217. nus & Finnensis Episcopus decesserunt. Nunc autem  
 quoniam locorum se præbuit occasio, ad rem pertinere  
 videtur, aliquid de natura *Baltici* maris dicere. Cujus freti  
 mentionem cum supra in gestis *Adaldagi* Pontificis ex scri-  
 ptis *Einhardi* fecerim, explanationis more utens, ea quæ ille per  
 compendium dixit, pleniori calamo nostris scienda propo-  
 nam. Sinus quidam, inquit, ab occidentali Oceano versus Orientem  
 porrigitur. Sinus ille ab incolis appellatur *Balticus*, idemque  
 mare *Barbarum* seu pelagus *Scythicum* vocatur à gentibus  
 quas alluit barbaris. Occidentalis autem Oceanus ille vide-  
 tur, quem Romani *Britannicam* scribunt, cujus latitudo im-  
 mensa, terribilis & periculosa, ab occasu complectitur *Britan-*  
*niam*, quæ nunc *Anglia* dicitur: à meridie *Fresos* tangit,  
 cum ea parte *Saxonie*, quæ nostræ diocesi pertinet *Hamma-*  
*burgensi*: à solis ortu habet *Danos*, ostiumque *Baltici* maris.



& Nordmannos; qui ultra Daniam consistunt: ab Aquilone vero idem Oceanus insulas præterlabitur Orchadas, deinde infinitis orbem terræ spaciis ambit, sinistrorsum habens Hiberniam Scotorum patriam, quæ nunc *Irland* dicitur, dextrorsum vero scopulos Nordmanniæ, ulterius autem Insulas *Island & Gronland*, ibi terminatur *Oceanus*, qui dicitur *caligans*. Quod autem dicit eundem sinum longitudinis incompertæ, hoc nuper apparuit in solertia fortissimorum virorum *Ganund Wolf* satrapæ Danorum, sive *Haroldi* regis Nordmannorum, qui magno viæ labore, multoque sociorum periculo, quantitatem hujus maris perscrutantes, ancipiti demum jactura ventorum ac piratarum fracti, victique redierunt. Affirmant autem Dani, longitudinem hujus ponti sæpe à pluribus expertam, secundo flatu per mensem aliquos à Dania pervenisse in *Ostrogard* Ruzziæ.

Latitudinem vero illam ponit, quæ nusquam centum millia passuum excedat, cum in multis, ait, locis contra-ctior inveniatur, quod in ostio ejusdem sinus videri potest, cujus ab Oceano introitus inter *Alaburg* vel *Wendilam* promontorium *Dania* scopulosque *Nordmanniæ* tam strictus invenitur, ut facili saltu per noctem carbasa traiciantur. Item limitem egressus Danorum idem pontus late brachia tendit, quæ de-  
nuo contrahit è regione Gothorum, qui à latere *Wilz*os habent. Deinde quanto interius vadit tanto latius hinc inde diffunditur.

Hunc, inquit, sinum multæ circumfident nationes. *Dani* si quidem ac *Sveones* quos *Nordmannos* vocamus, septentrionale littus tenent, & omnes in eo insulas. Ad littus autem australe *Slavi* *Haisi*, aliæque diversæ incolunt nationes, inter quos præcipui sunt *Welazabi*, qui & *Wilzi* dicuntur. Dani vero & *Sveones*, cæterique trans Daniam populi, ab Historicis Francorum omnes *Nordmanni* vocantur, cum tamen Ro-  
mani



mani scriptores eiusmodi vocent *Hyperboreos*, quos Marcia-  
 Cap. nus Capella multis laudibus extulit. Itaque primi ad osti-  
 221. um prædicti sinus, in australi ripa versus nos Dani, quos  
*Juthas* appellant, usque ad *Stiam* lacum habitant. Vnde inci-  
 piunt fines Hammaburgensis parochiæ, qui per maritimos  
 Slavorum populos longo tractu porriguntur usque ad *Panin*  
 fluvium, ibi limes est nostræ diœcesis. Inde *Wilzi* & *Leuticii*  
 sedes habent, usque ad *Odoram* fluvium: trans *Odoram* autem  
 comperimus degere *Pomeranos*. Deinde latissima Polanorum  
 terra diffunditur, cujus terminum dicunt in *Ruzzia* regnum  
 connecti. Hæc est ultima & maxima *Winulorum* provincia,  
 Cap. quæ & finem illius facit sinus. At vero à parte Aquilona-  
 222. li revertentibus ad ostium Baltici freti, primi occurrunt  
*Nordmanni*; deinde *Sconia* prominet, regio Danorum, & supra  
 eam tenso limite *Gothi* habitant, usque ad *Bircam*, postea lon-  
 gis terrarum spaciis regnant *Sveones*, usque ad terram foemi-  
 narum. Supra illas *Wilzi*, *Mirri*, *Lami*, *Scuti*, & *Turci* habita-  
 re feruntur usque ad *Ruzziam*. In qua denuo finem habet  
 ille Sinus. Itaque latera illius ponti ab austro Slavi, ab A-  
 quilone *Svedi* possederunt. Afferunt etiam periti locorum à  
 Sveonia terrestri via quosdam usque in Græciam permeasse.  
 Sed barbaræ gentes, quæ in medio sunt, hoc iter impediunt,  
 propterea navibus tentatur periculum.

Cap. Multæ sunt Insulæ in hoc sinu, quas Dani & Sveones  
 223. omnes habent in sua ditione, aliquas etiam Slavi tenent.  
 Earum prima est in capite illius freti *Wendila*, secunda *Morse*,  
 tertia *Thuis*, modico ab invicem intervallo divisæ, quarta est  
*Sampse*, quæ opposita est civitati *Arhusen*, quinta *Finnis*, sexta  
*Seland*, septima quæ illi adheret, & quarum supra memoriam  
 fecimus: Octavam dicunt illam, quæ *Sconia* ac *Gothia* pro-  
 xima *Holmus* appellatur, celeberrimus *Dania* portus, & fida  
 statio navium, quæ à Barbaris in Græciam dirigi solent. Cæ-

T

terum



terum *Finni* insulæ aliæ septem adjacent minores ab Euro  
 quas supra diximus, frugibus opulentas, hoc est *Moiland, Imo-  
 bra, Falsre, Laland*. Item aliæ omnes sibi vicinæ, cum *Laland*  
 interius vadat ad confinia Slavorum. Hæ quindecim Insulæ  
 Danorum regnum aspiciunt, omnesque jam Christianitatis ti-  
 tulo decoratæ sunt. Sed & aliæ interius sunt, quæ subjacent  
 Sveonum Imperio: Quarum maxima est illa, quæ *Curland* di-  
 citur, iter octo dierum habens, gens crudelissima, propter ni-  
 mium idololatriæ cultum fugitur ab omnibus: aurum ibi plu-  
 rimum, equi optimi, divinis, auguribus, atque micromanticis  
 omnes domus sunt plenæ, qui etiam vestitu Monachico induti  
 sunt. A toto orbe ibi responsa petuntur, maximè ab Hispanis  
 & Græcis. Hanc insulam in vita Sancti Ansgarij *Chori* nomi-  
 natam credimus, quam tunc Sveones tributo subjecerunt. Ve-  
 na ibi nunc facta est Ecclesia, cujusdam studio negatiatoris,  
 quem Rex Danorum multis ad hoc illexit muneribus. Ipse e-  
 nim Rex gaudens in Domino recitavit mihi hanc cantilenam.

Præterea recitatum est nobis, alias plures Insulas in <sup>Cap.</sup>  
 eodem ponto esse, quarum una grandis *Estland* dicitur, <sup>224.</sup>  
 non minor illa de qua prius dixi. Nam & ipsi Deum Christia-  
 norum prorsus ignorant, Dracones adorant cum volueribus,  
 quibus etiam vivos litant homines, quos à mercatoribus e-  
 munt, diligenter omnino probatos, ne maculam in corpore  
 habeant, pro qua refutari dicuntur à Draconibus. Et hac qui-  
 dem Insula *terra feminarum* proxima narratur, cum illa supe-  
 rior non longe sit à *Birka* Sveonum.

Illarum autem Insularum quæ Slavis adjacent, in si- <sup>Cap.</sup>  
 gniores accepimus tres. Quarum prima *Fembre* voca- <sup>225.</sup>  
 tur. Hæc opposita est *Wagris*. Altera est contra *Wilros* <sup>Cap.</sup>  
 posita, quam *Rani* vel *Runi* possident, fortissima Slavorum <sup>226.</sup>  
 gens, extra quorum sententiam de publicis rebus nihil agi  
 lex est, ita illi metuuntur propter familiaritatem Deorum, vel  
 potius



potius Dæmonum quos majori cultu cæteris venerantur. Ambæ igitur hæ insulæ piratis & cruentissimis latronibus plene sunt, qui & nemini parcunt ex transeuntibus. Tertia est illa, quæ *Semland* appellari solet, contigua Ruzzis & Polonis: hanc inhabitant Sembi vel Prutzci, homines humanissimi, qui obviam tendunt ad auxiliandum hiis, qui in mari periclitantur, vel qui à piratis infestantur. Aurum, argentumque pro minimo ducunt, pellibus abundant peregrinis, quorum odor nostro orbi lætiferum superbix venenum propinavit. Et illi quidem ut stercore hæc ad nostram forte habent damnationem, qui per fas nefasque ad vestem anhelamus marturinam, quasi ad summam beatitudinem. Itaque pro laneis indumentis, quæ nos dicimus *Paldones*, illi offerunt tam preciosos martures. Multa ergo possent ex illis populis dici laudabilia in moribus, si solam Christi fidem haberent, cujus prædicatores immaniter persequuntur. Apud illos enim illustris Bœorum Episcopus *Adalbertus* martyrio est coronatus. Usque hodie profecto inter illos, cum omnia communia sint nostris, solus accessus prohibetur lucorum & fontium, quos autumant Christianorum pollui accessu. Carnes etiam jumentorum pro cibo sumunt, quorum lacte vel cruore utuntur in potu, ita ut inebriari dicantur. Homines carulei, facie rubea & criniti, præterea in accessi paludibus, nullum inter se pati Dominum volunt.

77.

Cap. 228. Sunt & plures aliæ in hoc Ponto Insulæ, ferocibus Barbaris omnes plene, ideoque fugiuntur à navigantibus. Item circa hæc littora Baltici maris ferunt esse *Amazonas*, quod nunc terra fæminarum dicitur: Quas aquæ gustu aliqui dicunt concipere. Sunt etiam qui referant eas imprægnari à prætereuntibus negotiatoribus, vel ab eis, quos inter se habent captivos, sive ab aliis monstris, quæ ibi non rara habentur. Et hoc etiam credibilis est. Cumque pervenerint ad partem, si quidem

78.



dem masculini generis fuerit, Cynocephali; si quid femi-  
ni, speciosissimæ mulieris. Hæ simul viventes, spernunt con-  
fortia virorum: quos etiam, si advenerint, à se viriliter repel-  
lunt. *Cynocephali* sunt, qui caput in pectore habentes, in Ruz-  
zia sæpe videntur captivi, & cum verbis latrant in voce. Ibi  
79. sunt etiam qui dicuntur *Alani* vel *Albini*, cum canicie nascun-  
tur: de quibus *Solinus* auctor meminit. Eorum patriam can-  
nes defendunt. Si quando pugnandum est, canibus aciem  
struunt. Ibi sunt homines pallidi, virides & macrobii, id est,  
longi, quos *Busos* appellant. Postremo illi, qui dicuntur an-  
tropophagi, & humanis vescuntur carnibus. Ibi sunt alia  
monstra plurima, quæ recitantur à navigantibus, sæpe inspe-  
cta, quamvis hoc nostris vix credibile videatur. Hæc habui  
quæ de sinu illo Baltico vel Barbaro dicerem, cujus nullam  
mentionem audiivi quempiam doctorum fecisse, nisi solum,  
de quo supra diximus, *Einhardum*. Et fortasse mutatis nomi-  
nibus arbitror illud fretum ab antiquis Romanis vocari *Pa-  
ludes Scythicas*, vel *Meoticas*, sive deserta *Getarum*, aut litus  
Scythicum, quod *Martianus*, ait, conferrum esse multiplici di-  
versitate barbarorum. Illic, inquit, *Getae, Daci, Sarmatae, Ne-  
80. rri, Alani, Geloni, Antropophagi, Trogloditæ*. Quorum errori con-  
dolens noster Metropolitanus, statuit *Birkam* illis gentibus  
Metropolim, quæ in medio Sveoniæ posita contra civitatem  
Slavorum opposita respicit *Iuminem*, paribusque spaciis omnes  
illius ponti amplectitur oras. In qua civitate primum ex no-  
81. stris ordinavit. *Hiltinum* abbatem, quem ipse *Iohannem* appel-  
lavit. Itaque de Insulis Danorum dictum est satis. Nunc verò  
ad Sveonum sive Nordmannorum populos, qui Danis proximi  
sunt, converramus articulum.

Transeuntibus insulas Danorum, alter mundus ape-  
ritur in *Sveoniam* vel *Nordmanniam*, quæ sunt duo latissima  
Aquilonis Regna, & nostro orbi adhuc fere incognita. De  
qui-

Cap.  
229.



quibus narravit mihi sanctissimus Danorum Rex, quod Nordmannia vix queat transiri per mensem, cum Sveonia duobus mensibus non facile percurratur. Quod, ipse inquit, probaveram quia nuper sub *Iacobo* rege XII annis in illis regionibus militavi, quæ altissimis ambæ montibus includuntur, magis autem Nordmannia, quæ suis alpibus circumdat Sveoniam. De Sveonia vero non tacent antiqui auctores, *Solinus* scilicet & *Orosius*, qui plurimam partem Germaniæ Svevos dicunt tenere, nec non montana eius usque ad Ripheos montes extendi. Ibi etiam est *Albis* fluvius, de quo *Lucanus* meminisse videtur. Qui oritur in prædictis alpibus, perque medios Gothorum populos currit in Oceanum, inde & *Gorhelba* dicitur. Sveonia ergo regio est fertilissima, ager frugibus & melle opimus, extra quod pecorum foetu omnibus antefertur, oportunitas fluminum sylvarumque magna, ubique peregrinis mercibus omnis regio plena. Nullis itaque egere dicas Sveones opibus, excepta quam nos diligimus, sive potius adoramus, superbia. Omnia enim instrumenta vanæ gloriæ, hoc est, aurum, argentum, soni pedes regios, pelles Castorum, & Marturum, quæ nos admiratione sui dementes faciunt, illi pro nihilo ducunt. In sola mulierum copula modum nesciunt. Quisque secundum facultatem virium suarum duas aut tres vel amplius simul habet; divites & Principes absque numero. Nam & filios ex tali conjunctione genitos habent legitimos. Capitali vero mulctatur poena, si quis alterius uxorem cognoverit, aut vi oppresserit virginem, sive qui alterum bonis suis spoliaverit, aut injuriam fecerit. Quamvis omnes Hyperborei hospitalitate sint insignes, præcipui sunt nostri Sveones: quibus est omni probro gravius hospitium negare transeuntibus, ita ut certamen habeant inter se, quis dignus sit hospitium recipere. Cui omnia exhibens humanitatis jura, quot illic commorari voluerit diebus, ad amicos suos illum certatim



rim per singulas dirigit mansiones. Hac illi bona in moribus habent. Prædicatores autem veritatis, si casti, prudentes, & idonei sint, ingenti fovent amore, adeo ut concilio populorum communi, quod ab ipsis *Warph*, à nobis *Thinc* vocatur, Episcopos interesse non renuant. Vbi de Christo ac Christiana religione crebro audiunt non inviti. Et profecto facile sermone ad nostram fidem illi persuaderentur, nisi quod mali doctores, dum sua quærunt, non quæ Iesu Christi, scandalizant eos, qui salvari possent.

86.

Populi Sveonum multi sunt, viribus & armis egregij, præterea tam in equis quam in novibus juxta optimi bel-<sup>Cap. 230.</sup> latores. Vnde etiam sua potentia cæteras aquilonis gentes confringere videntur. Reges habent ex genere antiquos, quorum tamen vis pendet in populi sententia, quod in commune laudaverint omnes, illum confirmare oportet, nisi ejus decretum potius videatur, quod aliquando sequuntur inviti. Itaque domi pares esse gaudent. In prælium euntes omnem præbent obedientiam Regi, vel ei qui doctior cæteris à Rege præfertur. Si quando vero præliantes in angustia positi sint, ex multitudine Deorum quos colunt, unum in auxilium invocant: ei post victoriam deinceps sunt devoti, illumque cæteris anteponunt, Deum autem Christianorum jam communi sententia fortio-rem clamant omnibus esse; alios Deos sæpe fallere, illum porro semper astare certissimum adiutorem in oportunitatibus.

87.

Ex ipsis populis Svedix proximi ad nos habitant *Gothi*,<sup>Cap. 231.</sup> qui Occidentales dicuntur, alij sunt Orientales. *Westergothia*, confinis est provinciæ Danorum, quæ *Scotia* dicitur. Aqua ferunt diebus septem perveniri usque ad civitatem Gothorum magnam *Scarane*. Deinde *Ostrogothia* protenditur juxta mare quod *Balthicum* dicitur, usque ad *Birkam*. Primus Gothorum Episcopus *Tburgot* fuit, secundus *Godescalcus*, vir sapiens & bonus, nisi quod domi sedens, ocium  
abrllo



labori prætulit, tertium autem ordinavit noster Metropolita-  
 nus *Adalwardum* seniore, vere laudabilem virum. Qui de-  
 inde ad Barbaros perveniens, sicut docuit, ita vixit. Nam san-  
 ctè vivendo ac bene docendo, magnam gentilium multitudi-  
 nem ad Christianam convertit fidem. Qui etiam virtutum  
 claruit miraculis, ita ut poscentibus in necessitate Barbaris,  
 imbrem de cælo faceret descendere, & denuo serenitatem ve-  
 nire, & alia quæ hæcenus quærentur à doctoribus. Is autem  
 vir memorabilis in Gothia permanens, nomen Domini Jesu  
 constanter omnibus prædicavit. Ibidemque post multos ago-  
 nes, quos pro Christo libenter sustinuit, victricem terræ car-  
 nem tradidit, Spiritus cælum petiit laureatus. Post quem Ar-  
 chiepiscopus ordinavit in illas partes quendam *Acilinum*, nihil  
 Episcopali nomine dignum ferentem præter ingentem corpo-  
 ris staturam. Et ille quidem carnis requiem diligens, frustra  
 legationem Gothis mittentibus, usque ad obitum suum in de-  
 litis Coloniae permansit. Inter Nordmanniam & Sveoniam  
*Warmelani* & *Finnved* degunt, & alii: qui nunc, omnes sunt  
 Christiani, respiciuntque ad Scaranensem Ecclesiam. In con-  
 finio Sveonum vel Nordmannorum, contra boream, habitant  
*Scritefinni*, quos ajunt, cursu feras præire. Civitaseorum ma-  
 xima *Halsingaland* & *Halsingaland* Regio est. Ad quam primus  
 est ab Archiepiscopo designatus *Stenphi* Episcopus, quem ipse  
 mutato nemine *Simonem* vocavit. Qui etiam multos earun-  
 dem gentium sua prædicatione lucratus est. Præterea sunt alij  
 numero carentes Sveonum populi, de quibus ad Christiani-  
 tatem conversos accepimus solos *Gothos*, *Wermelanos* & par-  
 tem *Scritefingorum*, vel qui illis vicini sunt.

80.

90.

Cap. 212. Igitur ut brevem Sveoniæ vel Syediæ faciamus descri-  
 ptionem: Hæc ab occidente *Gothos* habet, & civitatem  
 Scaranen, à borea *Wermelanos*, cum *Scritefinnis*, quorum ca-  
 put *Halsingaland*, ab austro longitudinem habet illius Baltici-  
 maris,



maris, de quo ante diximus: ibi est civitas magna *Sictona*. Ab oriente autem Ripheos montes attingit, ubi deserta ingentia, ubi nives altissimæ, ubi monstruo si hominū greges, ultra prohibent accessum. Ibi sunt *Amæzones*, ibi *Cynocephali*, ibi *Cyclopes*, qui unum in fronte habent oculum. Ibi sunt illi quos Solinus dicit *Himantopodes*, uno pede salientes, & illi qui humanis carnibus delectantur pro cibo, ideoque sicut fugiuntur, ita etiam jure tacentur. Narravit igitur mihi Rex Danorum sæpe recolendus, gentem quandam ex montanis in plana descendere solitam, & incertum esse unde veniat, semel aliquando per annum vel post triennium, inquit, subiti accedunt. Quibus nisi totis resistatur viribus omnem depopulantur regionem, & de novo recedunt. Aliaque multa recitari solent, quæ brevitati studens omisi, ab hiis dicenda, qui hæc se vidisse testantur.

91. Nunc de superstitione Sveonum pauca dicemus. Nobis <sup>Cap.</sup> lissimum illa gens templum habet, quod *Vfola* dicitur, <sup>1233.</sup> non longe positum à *Sictona* civitate vel *Birka*. In hoc templo, quod totum ex auro paratum est, statuas trium Deorum veneratur populus, ita ut potentissimus eorum *Thor* in medio solum habeat triclinium. Hinc & inde locum possident, *Wodan* & *Fricco*. Quorum significationes ejusmodi sunt: *Thor*, inquit, præsidet in aëre, qui tonitrus, & fulmina, ventos, imbresque, serena, & fruges gubernat. Alter *Wodan*, id est, fortior, bella regit, hominumque ministrat virtutem contra inimicos, Tertius est *Fricco*, pacem voluptatemque largiens mortalibus. Cujus etiam simulachrum fingunt ingenti Priapo. *Wodanem* vero sculpunt armatum, sicut nostri Martem sculpere solent. *Thor* autem cum sceptro Jovem exprimere videtur. Colunt & Deos ex hominibus factos, quos pro ingentibus factis immortalitate donant, sicut in vita sancti Ansgarii legitur Hericus Rex fecisse, omnibus scilicet Diis attributos sacerdotes, qui sacrificiæ populi offerant. Si pestis & fa-
- mes



ines imminet, *Thor* Idolo immolant, si bellum, *Wodani*, si nuptiæ celebrandæ sunt, *Fricconi*. Solet quoque post novem annos, communis omnium Sveoniæ provinciarum solennitas celebrari. Ad quam videlicet solennitatem, nulli præstatur immunitas. Reges & populi omnes, & singuli sua dona ad *Vbsolam* transmittunt, & quod omni pœna crudelius est, illi qui jam induerunt Christianitatem, ab illis se ceremoniis reddunt. Sacrificium itaque tale est. Ex omni animale, quod masculinum est, novem capita offeruntur, quorum sanguine Deos tales placari mos est, corpora autem suspenduntur in lucum, qui proximus est templo. Is enim Lucustam sacer est Gentilibus, ut singulæ arbores ejus, ex morte vel cibo immolatorum divinæ credantur. Ibi etiam canes, qui pendent cum hominibus, quorum corpora mixtim suspensa, narravit mihi quidam Christianorum, se LXXII. vidisse. Cæterum nantia, quæ in ejusmodi ritibus libatoriis fieri solent, multiplices sunt, & inhonestæ, ideoque melius reticendæ.

Cap. 35. In eadem provincia nuper res contigit memorabilis, & pro dignitate gestorum longè divulgata, pervenit etiam ad noticiam pontificis. Quidam enim e sacerdotibus, qui ad *Vbsolam* Dæmonibus astere solebat, nequicquam juvenibus Diis factus est cæcus. Cumque vir sapiens infortunium orbitatis suæ culturæ Idolorum imputaret, quæ superstitiose venerans potissimum Christianorum Deum offendisse videretur, ecce ipsa nocte apparuit sibi virgo decora nimis, interrogans, si in filium ejus credere vellet, ut visum reciperet, abjectis quæ ante colebat simulachris. Tunc ille qui nihil ardui renueret subeundum pro hoc dono, ita se facere, lætus spondit. Ad hæc virgo; scito, inquit, certissimè, hunc locum, ubi nunc tantus innocentium cruor effunditur, in meo dedicandum proxime honore. In qua re ne tibi aliqua dubietatis signa remaneant, in nomine Christi, qui est filius meus, tu recipe lumen oculorum tuorum. Mox

V

ille



ille lumine recepto credidit, pertransiensque totas in circuitu regiones, facili fide paganis persuasit, ut crederent in eum, qui cæcum illuminavit.

Quibus miraculorum causis impellentibus, statim no-  
 ster Metropolitanus obediens voci, qui dicit; *Respicite & le-* [Cap. 236.]  
*vate oculos vestros, quoniam regiones jam albae sunt ad messem;* ordi-  
 navit in illas partes *Adalwardum* juniorem, de Bremensi  
 choro assumptum, virum literis & morum probitate fulgentem.  
 Cui etiam per Legatos clarissimi Regis *Stenkil* sedem posuit in  
*Sictona* civitate, quæ distat ab *Vbsola* itinere diei unius. Est vero  
 iter ejusmodi, ut à *Sconia* Danorum per mare velificans, quin-  
 to die pervenias usque *Sictonam* vel *Birkam*, juxta enim sunt.  
 Si vero per terram eas à *Sconia* per Gothorum populos, & civi-  
 ratem *Scaranen*, *Telgas* & *Birkam*, completo mense pervenies *Si-*  
*ctonam*. Relatum est autem nobis à quibusdam *Adalwardi*  
 Episcopi stipatoribus, cum primum *Sictonam* accessisset ad u-  
 nam missarum celebrationem, ad manum sibi oblatas LXX. mar-  
 cas argenti. Tantæ enim devotionis sunt omnes populi ar-  
 cticæ plagæ. Tunc etiam occasione itineris divertit *Birkam*,  
 quæ nunc in solitudinem redacta est, ita ut vestigia civitatis vix  
 appareant: quare nec tumulus sancti *Vnni* Archiepiscopi potuit  
 inveniri. *Adalwardus* igitur magno prædicandi fervore [Cap. 237.]  
 re Evangelii *Svediam* ingressus, omnes qui in *Sictona* erant  
 & in circuitu, brevi temporis spatio ad Christianam fidem per-  
 duxit. Conspiravit etiam cum sanctissimo viro *Eginone* Sconi-  
 ensi Episcopo, ut pariter adirent illud templum Paganorum,  
 quod *Vbsola* dicitur, si forte aliquem Christo laboris sui fru-  
 ctum ibi possent offerre; omnia tormentorum genera libenter  
 suscepturi, ut illa destrueretur domus, quæ caput erat barba-  
 ricæ superstitionis. Illa enim diruta vel potius cremata, fore,  
 ut tota gentis conversio sequeretur. Quam confessorum Dei  
 voluntatem piissimus Rex *Stenkil* in populo murmurari senti-  
 ens,



ens, callide submovit eos à tali cœpto, afferens & illos statim morte damnandos, & se à Regno depellendum, qui malefactores in patriam duxerit, & facile omnes ad Paganismum relapsuros, qui nunc credunt, sicut in *Slavania* nuper factum potest videri. Talibus Regis allocutionibus consentientes Episcopi, omnes Gothorum civitates peragrabant, idola confringentes, & multa Paganorum milia deinceps lucrantes ad Christianitatem. Hæc de *Sveonia* & ceremoniis ejus dicta sufficiant.

Cap. 238. | *Nordmannia* sicut ultima orbis provincia est, ita convenienter in ultimo libri loco ponetur à nobis. Hæc à modernis dicitur *Norvegia*. De cujus situ vel magnitudine, cum prius aliqua communiter cum *Sveonia* dixerimus, nunc vero hoc specialiter dicendum est, quod longitudine sua in extremam septentrionis plagam extenditur hæc regio, unde & dicitur. Incipit autem ex prominentibus scopulis hujus freti, quod *Balticum* appellari solet: deinde reflexo in Aquilonem dorso, postquam ferventis Oceani marginem suo circuit ambitu, tandem in *Ripheis* montibus limitem facit, ubi & lassus deficit orbis. *Nordmannia* propter asperitatem montium, sive propter frigus intemperatum, sterilissima est omnium Regionum, solis apra pecoribus, indeque fortissimos educat milites, qui nulla frugum luxuria molliti, sæpius impugnant alios, quam ipsi molestantur ab alio. Sine invidia cum proximis habitant *Sveonibus*, quamvis à *Danis*, æque pauperibus, non impune tentantur aliquando. Itaque rei familiaris inopia coacti, totum mundum circueunt, & piraticis raptibus amplissimam terrarum facultatem reportant domum, penuriam suæ regionis tali modo sustinentes. Post susceptam vero Christianitatem, melioribus imbuti scholis, didicerunt jam pacem & veritatem diligere, paupertate sua contenti esse, immo quæ hæreditant collecta spargere, non ut prius conspersa colligere. Cumque nefandis maleficiorum artibus, omnes ab initio servirent,

96.



nunc cum Apostolo simpliciter confitentur, & hunc crucifixum. Sunt etiam continentissimi omnium mortalium, tam in cibis, quam in moribus, parcitatem, molestiamque summo opere diligentes. Præterea sacerdotum & Ecclesiarum tantam venerationem habent, ut vix Christianus habeatur, qui non quotidie offerat ad Missam, quam audierit. Verum Baptismus & Confirmatio, dedicationes altarium, & factorum benedictio ordinum, apud illos & Danos care omnia redimuntur. Quod ex avaritia sacerdotum prodisse arbitratur, quia Barbari adhuc decimas dare, aut nesciunt, aut nolunt, ideoque constringuntur in cæteris, quæ deberent gratis offerri. Nam visitatio infirmorum & sepultura mortuorum, omnia ibi venalia. Apud illos igitur tanta morum insignia, sola, ut compertum habeo, sacerdotum corrumpuntur avaritia.

97.

In multis *Nordmannia* vel *Suedia* locis, pastores p[er] eundem sunt etiam nobilissimi homines, ritu patriarcha <sup>Cap. 139.</sup> rum & labore manuum viventes. Omnes vero sunt Christianissimi, qui in *Nordvegia* degunt, exceptis illis, qui trans arctoam plagam circa Oceanum remoti sunt, quos adhuc ferunt magicis artibus, sive incantationibus in tantum prevalere, ut se scire fateantur, quid à singulis in toto terrarum orbe geratur, tunc etiam potenti murmure verborum grandia eete maris in littora trahunt, aliaque multa, quæ de maleficis in scripturis leguntur, illis ex usu facilia sunt. In asperrimis etiam, quæ ibi sunt, alpibus, audivi mulieres esse barbaras, viros autem silvicolas, raro se præbere videndos. Qui ferarum pellibus utuntur pro vestibus, & loquentes ad invicem fremere magis, quam verba proferre dicuntur, ita ut vix à proximis intelligi queant populis. In eisdem montanis agrestium tanta est copia ferarum, ut plurima pars Regionis ex solis vivat silvaticis. Ibi capiuntur Uri, Bubali, & Elaces, sicut in *Sveonia*: cæterum Bisontes capiuntur in *Slavania* & *Russia*: sola vero

98.



vero *Nordmannia* vulpes habet nigras, & lepores, martures albos, ejusdemque coloris ursos, qui sub aqua, ut uri vivunt. Cumque diversa prorsus & insveta nostris multa ibi videantur, ab ejusdem patriæ incolis hæc & alia plenius dicenda relinquo.

Cap. 240. Metropolis civitas Nordmannorum est *Trondemnis*, quæ nunc decorata Ecclesiis, magna populorum frequentatione celebratur. In qua jacer corpus beatissimi *Olapb* Regis & Martyris. Ad ejus tumbam usque in hodiernum diem maxima Dominus operatur sanitatum miracula, ita ut à longinquis illuc confluant regionibus, qui se sancti Martyris meritis sperant posse juvari. Est vero iter ejusmodi, ut ab *Alaburg*, vel *Wenåila* Danorum ingrediens navi, per diem mare transeat ad *Wig* civitatem Nordmannorum: inde vela torquentur in *lavam*, circa litora *Nordwegia*, & quinto die pervenitur ad ipsam civitatem quæ *Trondemnis* dicitur. Potest autem iri & alia via quæ ducit à *Sconia* Danorum terrestri itinere usque ad *Trondemnem*: sed hæc est tardior in montanis; & quoniam plena est periculo, declinat à viatoribus.

Cap. 241. In Nordmanniam primus ab Anglia venit quidam *Tobannes* Episcopus, qui Regem cum populo conversum baptizavit: cui successit *Grinkell* Episcopus, qui tunc erat ad *Unvvanum* Archiepiscopus Regis *Olapb* legatus. Tertio loco advenit ille *Sigofridus*, qui & apud Svedos & Nordmannos juxta prædicavit. Isque duravit usque ad nostram ætatem, cum aliis æque non obscuris in illa gente sacerdotibus. Post quorum excessum noster Metropolitanus petentibus Nordmannorum populis, ordinavit *Tholf* Episcopum in civitate *Trondemni*; & *Signardum* in easdem partes. *Asgorum* vero & *Bernardum*, licet moleste ferret à Papa consecratos, accepta satisfactione dimisit à se donatos. Per quos usque hodie ver-



bum Dei multas lucratur animas, ita ut in omnibus provinciis Nordwegiæ, beata mater Ecclesia lætis floreat incrementis. Inter Nordmannos tamen & Sveones, propter novellam plantationem Christianitatis, adhuc nulli Episcopatus certo limite sunt designati, sed unusquisque Episcoporum à Rege vel populo assumptus, communiter ædificant Ecclesiam, & circueuntes regionem, quantos possunt ad Christianitatem trahunt, eosque gubernant sine invidia, quam diu vivunt.

Post Nordmanniam, quæ est ultima Aquilonis provincia, nihil habitationis humanæ, nisi terribilem visu & infinitum Oceanum, qui totum mundum amplectitur invenies. Is habet ex adverso Nordmanniæ insulas multas non ignobiles, quæ nunc fere omnes Nordmannorum ditioni subjacent, ideoque à nobis non sunt prætereundæ, quoniam Hammaburgensem parochiam & ipsæ respiciunt. Quarum primæ sunt *Orchades* insulæ, quas Barbari vocant *Organas*: ritu Cycladum illæ sunt dispersæ per Oceanum. De quibus Romani

100. Auctores *Martianus* & *Solinus*, ita scripsisse videntur. A tergo Britannia, unde infinitus patet Oceanus, Orchades sunt insulæ, quarum xx. sunt desertæ, xvi. coluntur. Orchades insulæ pæne xl. junctæ. Item vicinæ sunt *Electrides*, in quibus Electrum gignitur. Igitur Orchades inter Nordmanniam & Britanniam ac Hyberniam positæ, frementis Oceani ludibundæ minas derident. Ad quas à civitate Nordmannorum *Trondemne* per diem ferunt navigari posse. Item ab Orchadibus, ajunt, simile spatium sive in *Angliam* dirigas, sive in *Schotiam* flectere velis. Ad easdem insulas Orchadas, quamvis prius ab Anglorum & Schotorum Episcopis regerentur, noster primus, jussu Papæ, ordinavit *Thorulfum* Episcopum, in civitate *Blascona*, qui omnium curam ageret.

Insula *Thyle*, quæ per infinitum à cæteris secreta longe sita est in Oceano, vix, ut inquit, nota habetur, De qua



qua tam à Romanis scriptoribus, quam à Barbaris multa referuntur digna prædicari. Ultima, inquit, omnium Thyle, in qua æstivo solstitio, sole cancri signum transeunte, nox nulla, Brumali solstitio proinde nullus dies. Hoc quidam senis mensibus fieri arbitrantur. Item *Beda* scribit, in Britannia æstate lucidas noctes haud dubie repromittere, ut si in solstitio, continui dies habeant, senis mensibus, noctesque è diverso ad Brumam sole remoto. Quod fieri in insula Thyle *Pictæas* 102.  
*Masiliensis* scribit sex dierum navigatione in Septentrione à Britannia distante. Hæc itaque Thyle nunc *Island* appellatur, à glacie quæ Oceanum astringit. De qua etiam hoc memorabile ferunt, quod eadem glacies ita nigra & arida videatur, propter antiquitatem, ut incensa ardeat. Est autem insula permaxima, ita ut populos intra se multos contineat, qui solo pecorum foetu vivunt, eorumque vellere teguntur: nullæ ibi fruges, minima lignorum copia, propterea in subterraneis habitant speluncis, tacto communi & victu & strato gaudentes cum pecoribus suis. Itaque in simplicitate sanctam vitam peragentes, cum nihil amplius quærant quam natura concedit, læti dicere cum Apostolo possunt, *habentes victum & vestitum, hiis contenti simus*. Nam & montes suos habent pro oppidis, & fontes pro delitiis. Beata, inquam, gens, cujus paupertati nemo invidet; & in hoc beatissima, quod nunc omnes induerunt Christianitatem. Multa insignia in moribus eorum, præcipue 103.  
Charitas, ex qua procedit, ut inter eos omnia sint communia tam advenis, quam indigenis. Episcopum suum habent pro Rege, ad cuius nutum respicit omnis populus, quicquid ex Deo, ex scripturis, ex consuetudine aliarum gentium, ille constituit, hoc pro lege habent. De quibus noster Metropolitanus immensas Deo gratias retulit, quod suo tempore convertebantur, licet ante susceptam fidem naturali quadam lege non adeo discordarent à nostra Religione. Itaque petentibus illis ordi- 104.  
navit.



navit quendam sanctissimum virum *Isleph*. Qui ab eadem Regione missus ad pontificem, aliquamdiu apud eum retentus est, cum ingenti prorsus honore, discens interea quibus noviter conversos ad Christum populos salubriter posset informare. Per quem transmisit Archiepiscopus suos apices populo Islandorum & Gronlandorum, venerabiliter eorum salutans Ecclesias: pollicens ei propediem se venturum usque ad illos, ut gaudio similiter pleno fruantur. In quibus verbis egregia, quam habuit in legatione sua voluntas Pontificis laudari debet, quoniam & Apostolum discimus ad praedicandum verbum Dei velle in Hispaniam proficisci, quod implere non potuit. Hæc de *Island*, & de ultima *Thyle* veraciter comperi, fabulosa præteriens. Sunt autem plures aliæ in Oceano Insulæ, quarum non minima est *Gronland*, profundius in Oceano sita contra montes Svedicæ, vel Riphea jugæ. Ad quam insulam à litore Nordmannorum ferunt vela pandi quinque aut septem diebus, quemadmodum ad *Island*. Homines ibi à solo cærulei, unde & Regio illa nomen accepit, qui similem Islandis vitam agunt, excepto quod crudeliores sunt, raptuque piratico remigantibus infesti. Ad eos etiam, sermo est, nuper Christianitatem pervolasse. Tertia est *Halagland* insula vicinior Nordmanniæ, verum magnitudine cæteris non impar. Hæc in æstate circa solstitium per quatuordecim dies continuos solem videt super terram, & in hieme similiter per totidem dies sole caret. Stupenda res & incognita Barbaris, qui nesciunt disparem longitudinem dierum contingere propter solis accessum & recessum. Nam propter rotunditatem orbis terrarum necesse est, ut solis circuitus accedens alibi diem exhibeat alibi noctem relinquat. Qui dum ascenderit ad æstivale solstitium, simili ratione facit australibus. Hoc ignorantes Pagani, terram illam vocant sanctam & beatam, quæ tale miraculum præstat mortalibus.

Itaque

105.

Cap. 244.

Cap. 245.



Itaque Rex Danorum cum multis aliis contestatus est hoc ibi contingere, sicut in Svedia & Norwegia, & in cæteris, quæ ibi sunt insulis.

Cap. 246. Præterea unam adhuc insulam recitavit à multis reper-  
tam in illo Oceano, quæ dicitur *Winland*, eo quod ibi vi-  
tes sponte nascantur, vinum optimum ferentes. Nam & fruges  
ibi non seminatæ abundare non fabulosa opinione, sed  
certa Danorum comperimus relatione. Postquam insulam  
terra nulla invenitur habitabilis in illo Oceano, sed omnia  
quæ ultra sunt glaciæ intolerabili ac caligine immensa plena  
sunt. Cujus rei *Marcianus* ita meminit: *Ultra Thyle*, inquit,  
*navigare unius diei mare concretum est*. Tentavit hoc nuper ex-  
perientissimus Nordmannorum Princeps *Haroldus*. Qui lati-  
tudinem septentrionalis Oceani perscrutatus navibus, tandem  
caligantibus ante ora deficientis mundi finibus, immane abys-  
si baratrum retroactis vestigiis vix salvus evasit.

Cap. 247. Item retulit nobis beatæ memoriæ Pontifex *Adalbertus*,  
in diebus antecessoris sui quosdam nobiles de Frieslandia viros,  
causa pervagandi maris in Boream vela tetendisse, eo quod ab  
in colis ejus populi dicitur ab hostio *Wirraba*, fluminis directo  
cursu in aquilonem nullam terram occurrere, præter illud  
mare quod *Liberse* dicitur. Cujus rei novitate pervestiganda,  
conjurati sodales à litore Fresonum læto celeumate sunt  
progressi. Deinde relinquentes hinc Daniam, inde Britanniam,  
pervenerunt ad *Orchadas*. Quibus à læva dimissis, cum  
Nordmanniam in dextris haberent, longo tractu glaciam  
*Island* collegerunt. A quo loco maria fulcantes, in ultimum  
septentrionis axem postquam retro se omnes, de quibus supra  
dictum est, insulas viderunt, omnipotenti Deo & sancto  
confessori *Willehado* suam commendantes audaciam & viam,  
subito collapsi sunt in illam tenebrosam rigentis Oceani ca-  
liginem, quæ vix oculis penetrari valeret. Et ecce instabilis



Oceani euripus, ad initia quaedam fontis sui arcana recurrens, infelices nautas jam desperatos, immo de morte sola cogitantes, vehementissimo impetu traxit ad chaos. Hanc dicunt esse voraginem abyssi, illud profundum in quo fama est omnes maris recursus, qui decrescere videntur absorberi, & de novo revomi, quod fluctuatio dici solet. Tunc illis solam Dei misericordiam implorantibus, ut animas eorum susciperes impetus ille recurrentis pelagi, quasdam sociorum naves abripuit, ceteras autem revomens ex cursu longo ab alteris post terga repulit. Ita illi ab instanti periculo, quod oculis viderant, oportuno Dei auxilio liberati toto nisu remorum fluctus adjuvarunt.

At jam periculum caliginis evadentes, & provinci- [Cap. 148.]  
am frigoris, ad quendam insulam altissimis in circuitu scopulis ritu oppidi munitam, insperate appulerunt. Quam visendorum gratia locorum aggressi, repererunt homines in antris subterraneis meridiano tempore latitantes: Prae quorum foribus infinita jacebat copia vasorum aureorum, & ejusmodi metallorum, quae rara mortalibus & pretiosa putantur. Itaque sumpta parte gazarum quam sublevare poterant, lati remiges festine remeant ad naves. Cum subito retro se venientes contemplati sunt homines mirae altitudinis, quos nostri Cyclopes appellant; quos antecedeabant canes magnitudinem solitam excedentes. Quorum incursum unus de sociis eorum captus est, & in momento coram eis laniatus, reliqui vero suscepti ad naves evaserunt, gigantibus (ut ferebant) pone in altum vociferando sequentibus. Tali fortuna comitati Fresones *Bremam* perveniunt, ubi *Alebrando* pontifici ex ordine cuncta narrantes, pio Christo & Confessori ejus *Willehado* reversionis & salutis suae hostias immolarunt.

Sunt & alia quae non incongrue dicenda essent de illo [Cap. 149.]  
lo aestu maris in die bis citato; quod miraculum praebet o-  
mnibus



mnibus maximum; ita ut ipsi, qui arcana rerum perscrutantur Physici, in dubitationem ejus rei cadant, cujus originem ignorant. Cumque *Macrobius* & *Beda* videantur aliquid loqui, *Lucanus* autem se nihil scire fateatur, diversi auctores variis pugnant sententiis: omnes autem incertis abeunt rationibus, nobisque sufficit cum Propheta clamare: *Quam magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti; impleta est terra possessione tua. Et iterum, Tui sunt caeli, & tua est terra, & tu dominaris potestati maris, & judicia tua abyssus multa, ideoque jure dicuntur incomprehensibilia.*

Cap. 1  
250. | Hæc sunt quæ de natura Septentrionalium Regionum comperimus ad honorem sanctæ Hammaburgensis Ecclesiæ proponenda, quam tanto munere divinæ pietatis præditam videmus, ut innumerabilem populorum multitudinem, quorum hæc Metropolis facta est, labore suæ prædicationis, ex magna jam parte conversos habeat ad Christianitatem, ibi solummodo ponens evangelizandi silentium, ubi mundus habet terminum. Quæ salutifera gentium legatio, primum à Sancto Ansgario incæpta, prosperis semper usque in hodiernum diem aucta est incrementis, usque ad transitum magni *Adalberti*, per annos circiter ducentos quadraginta.

Cap. 1  
251. | Ecce illa ferocissima *Danorum*, sive *Nordmannorum*, aut *Sveonum* natio, quæ, juxta beati *Gregorij* verba, *nihil aliud scivit nisi barbarum frendere*, jam dudum novit in Dei laudibus alleluja resonare. Ecce populus ille piraticus, à quo totas olim Galliarum & Germaniæ provincias legimus depopulatas, suis nunc finibus contentus est, dicens cum Apostolo: *Non habemus manentem hic civitatem, sed futuram inquirimus, & credimus videre bona Domini in terra viventium.* Ecce patria illa horribilis semper inaccessa propter cultum Idolorum, & Scythicæ non mitior ara Dianæ, deposito jam naturali furore, prædicatores veritatis ubique certatim admittit,



tit, destructisque Dæmonum aris, Ecclesiæ passim eriguntur,  
& nomen Christi communi ab omnibus effertur præconio.  
Nimirum hæc est mutatio dexteræ excelsi, & tam velociter cur-  
rit sermo Dei omnipotentis, ut à solis ortu & occasu, ab aquilo-  
ne & mari, laudabile sit nomen Domini, & omnis lingua con-  
fiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris,  
cum patre & sancto spiritu vivens & regnans, per omnia sæ-  
cula sæculorum. Amen.

**S**VSCIPE magne tui Præsul manuscula servi,  
Qua tibi & Ecclesiæ fers pleno cordis amore.  
Parva quidem sunt hæc, & vix, me iudice, digna  
Quæ possent oculis relegenda placere Catonis.  
Nam cum Rhetoricis sermones floribus ornes,  
Cum tua lingua sacra sit clavis Bibliotheca,  
Cum divina patrum scrutere volumina cautis  
Indiculis, quid verba putem tibi balba valere?  
At cum multa Deo placuissent dona potentibus.  
Sepe minuta duo vidua laudata memento.  
Et confido etiam, quia commendatio scripti,  
Carior inde tibi maneat, dum nil ibi fictum  
Externumque vides; sed quævis pagina veram  
Ecclesiæ laudem canit, Historiamque Bremensem.  
Omne decus sponsi est, ubi fertur gloria sponsa.  
Cumque per innumeros librorum currerim agros  
Scire decet, quod ubique legis hoc esse aliorum.  
Iste tuus liber est, totusque revolvitur in te,  
Tempus ad usque tuum perducens acta priorum.  
Ergo fave votis, parce juvenilibus a annis.  
Effice quæso tuo ne spes foret irrita servo,  
Qui pro laude tua non erubet esse pœta.  
Nempe tibi fateor venerabilis & bone Pastor,  
Si bene non potui, certe veracia scripsi,  
Testibus his utens, quibus hæc notissima res est.

a al. auis.

Nec



Nec mihi scribendo laudem vel munera quero,  
 Quippe placere tibi reor hoc satis esse labori.  
 Tum perpendo tuo non esse ignobile Claustro,  
 Quod minimus fratrum perfecit maxima rerum,  
 In quibus Ecclesia lucent primordia nostra,  
 Arctoumque salus populorum scripta tenetur.  
 Tempus erit quo facta tua celeberrima laudis,  
 Aut nos, aut aliquis ex docta plebe tuorum  
 Pangenus majora lyra, si vita superstes.  
 Quamvis nota satis pateant tua gesta per orbem,  
 Quae & sine scriptore vulgabit fama perennis.  
 Quem nam praeterit felix electio, qua te,  
 Prisco more patrum, Pastoris nomine dignum,  
 Electumque Deo, prodebat Spiritus index,  
 Cuius tunc festum recolebat turba fidelis:  
 O quantis lacrymis populi te vidimus emprum,  
 Dum prius oppressi votis communibus omnes  
 Talem te cuperent, immo longe meliorem.  
 Quam spes ulla foret, vel nostra fides meruisset,  
 Tu h solvis populi duram à cervice catenam,  
 Fasciculosque graves ab onusta plebe repellens,  
 Afflictae gentis mærorem in gaudia vertis.  
 Tu Clerum iniusta raptorum fraude gravatum,  
 In sua restituas, tu nos errore veterno  
 Eximis, atque suo reddis sacra templa decori.  
 Tu pacem terris antiqua lite fugatam  
 Ecclesiis revocas, iam tertia praelia surgunt;  
 Et discordantes tu jungis ad oscula mentes.  
 Si quid adhuc superest, quod gaudia publica turbet,  
 Per te sedari tribuat Deus, adiciatque  
 Ut Brema cum Hammaburg per te redimi mereantur,  
 Quae diuturna sui flent tempora carceris amba;  
 Hec à Paganis oppressa, (c haec clausa) tyrannia.  
 O Lyemare Pater faveat tibi gratia Christi,  
 Nosque tuae pecudes tibi corde & voce favent.

F I N I S.

b. al. Tu  
solus.

ē al. sed  
illa.